




QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis decimâ Januarii.

M. MICHAELE DE LA VIGNE, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An morbi à solidis potiùs, quàm à fluidis?

I.



HUMANUM corpus ex solidis & fluidis componitur. Solida, congeries sunt fibrarum, quæ mille inter se complicatæ modis glandulas, vasa, viscera, musculos, cæterasque partes efformant. Fibræ motu agitantur oscillatorio, quem à dura meninge omnium machinæ humanæ motionum activo principio mutuantur. Dura mater, Pendulorum more jugiter oscillat. Is motus villorum hujus membranæ singulari peragitur structurâ; in prima ovi explicatione incepit,

& toto vitæ ſpatio ἀυτομάτως perdurat. Oſcillans dura meninx blandè cerebrum premit, ſpiritus inibi incluſos exprimit, primùm in medullam oblongatam, deinde in ſpinalem, tùm in nervos, denique in univerſum fibrarum ſyſtema. A fibris, duræ matris quaſi ad nutum, oſcillantibus liquida corporis hùc & illùc circumferuntur. Solidorum & fluidorum motus promovet aër: quod ex machinâ Pneumatica patet; inde enim aëre per varias anthlationes exhauſto, animal ibi incluſum convulſum perit; ob id ſcilicet quod, externo aëre ſummoto, ſpirales aëris interni particulæ jam liberæ reſiliunt, à quibus nimiùm expanſis fibrarum elater tollitur, fluidorumque circuitus ceſſat, ac tandem animal extinguitur. Itaque aëris ambientis virtute elaſticâ fibræ & liquores ſibi mutuò, quaſi ad libellam, reſpondent. Et in hoc vita & ſanitas ſtat. Si inter hæc, quâcunque ratione, æquilibrium aut imminuatur, aut penitùs tollatur: mors, vel morbus incurrit.

I I.

SOLIDORUM & fluidorum nec una natura, nec vis eadem. Solida ex filis arctè colligatis texuntur; elatere inſtrui ſtructura ſatis oſtendit. Liquida ſeu humores, ſunt ſucci, qui vaſis continentur, quique ex minutis, parùm cohærentibus & mobilibus conflati particulis ſolidorum preſſioni cedunt, atque renituntur compreſſi, eoque nomine ſolidorum oſcillationem accelerant. Solida fluidis longè potentiora œconomiam animalem gubernant. Cor fibrarum, quibus intertextum eſt, niſu, non inſito & vitali igne, ſanguinem propellit & circumagit. Ventriculi villorum robore, notas in Mechanicis vectium vires adæquante, cibi liqueſcunt & in chylum mutantur. Ab oſcillantibus vaſorum fibris ſucci pinſantur, defœcantur, humorumque variæ fiunt ſecretiones, abſque ſubſidiariâ fermentorum operâ. Muſculorum fibræ, quaſi totidem vectes multiplicati magnarum virium, membrorum motus exequuntur. Senſuum functiones fibrarum, ex quibus cujuſlibet ſenſûs organum componitur, oſcillatione abſolvuntur. Fibrarum aliæ, aliis elatere præpollere debent ut in ſe invicem agant; ſi enim omnium æqualis planè foret reſiſtentia, nullæque cederent, omnis machinæ motus extingueretur. Has inter inæquales fibrarum potentias proportionem ſervari neceſſe eſt, ad functionum corporis integritatem. Porrò hancce ſymmetriam quàm mille res turbant! Aër nimirùm, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, animique Pathemata: Indè malorum prima labes.

I I I.

FIBRÆ cauſarum valetudinis evidentium noxas primæ ſentiunt. Ab illis fibrarum tonus laxior aut tenſior redditur. Ex hoc duplici vitio naſcuntur morbi, quidam breves & acuti, qui citò vel tollunt hominem, vel ipſi citò finiuntur: Quidam longi in quibus neque ſanitas in propinquo, neque exitium eſt. Acutos nimia fibrarum tenſio facit, relaxatio chronicos. In acutis tenſiores eſſe fibras fortiùſque oſcillare probant capitis dolor, & gravitas, vigiliæ, ſomnus inquietus, inſomnia, deliria, convulſiones, viſ-

cerum inflammationes cum dolorificis avulsionibus, excrementorum suppressiones vel profusiones, immodicæ humorum evacuationes, μετεωρίσεις, παλινδρομίαι, & sexcenta alia. Quorum in acutis apparentium ratio non aliundè repeti potest, quàm à violentiori duræ matris, propaginumque ejus oscillatione. Hìc vulgò culpatur humor acidus aut acris, pungens, vellicans, urens: sed non æquiùs, quàm in Phreniticis & Maniacis, (quorum prodigiosos impetus à solâ fibrarum crispaturâ venire plus satis constat,) similis humor accusatur. Dictis fidem ultrò facit acutorum curatio; in his namque ea conferunt auxilia, quæ corpus ὑγρὸν reddunt, ut Epaphæresis, Victus Humidus, Liberalis Potio, Fotus Emollientes, Anodyna, Hypnotica, Blanda Dejectoria, quibus tensiores fibræ relaxantur. Contrariâ verò curatione, quæ per stimulantia instituitur, acutorum vehementia, symptomataque non mediocriter exacerbantur: Adauctâ nimirùm, ejusmodi remediorum stimulis, fibrarum systematis crispaturâ. Aliquandò tamen in acutis proficiunt stimulantia, ubi metus est, ne fibræ ultrà punctum inflectionis contractæ, aut reflectionis distentæ oscillationem suam penitùs amittant. In hoc casu temerarii non est medici (modo omnis alia medicina inutilis prospiciatur) fibras convellere, Mochlicis, Volatilibus, Vesicatoriis, Scarificatu, Frictionibus, Ligaturis, ut per hæc agitatæ moveantur fibræ ab eo statu, quo detinentur, earumque elater novetur. Neque ista medicina temeraria est, quam ab Hippocrate commendatam olìm, hodiè à medicis renovatam feliciter videmus.

IV.

ACUTIS ut opponuntur longi morbi: Sic à contrariâ causa pendent, à relaxato fibrarum tono. Id manifestum est ex malo corporis habitu, coctionum depravatione, inspissatione succorum, obstructione viscerum, quibus diuturni stipantur. Tot ansam vitiis præbent imbecilliùs oscillantes fibræ; ex eo enim tardatur sanguinis circuitus, succorum tritus & commolitiones languent. Rem ita esse declarant plurima quæ senes circumveniunt incommoda, similia iis quæ patiuntur homines, quos longus exercet morbus. Sunt autem macies, inappetentia, ἀπεψία, humorum cruditas, pedum tumores, &c. quæ à resolutis in senili ætate fibris tàm necessariò pendent, quam notum est eandem ob causam paralisi, stupore, tremore, visûs, auditus, odoratusque imminutione senectutem affligi. Jam vero fibrarum tonus resolvitur vel sub mollioribus vel sub oneratis vel sub occallescentibus marcore filis, ex quibus illæ conflantur; hoc in statu nec facilè inflectuntur, nec facilè resiliunt. Utrique huic vitio medentur diæta, potissimum ea quæ in alimento medicamentum continet, vacuantia, aperientia, alterantia imprimis amara, roborantia: Quæ licet diversimodè agant, in id tamen singula conspirant, ut vivida redeat oscillatio.

V.

IN morbis fluida vitiantur: Sed vitium à solidis. Hæc namque ut ordinatè mota sanum æconomiæ animalis statum primariò constituunt: Sic sui inordinatione motûs eumdem prima evertunt. Interim inusta semel

humoribus alteratio, in fibras recurrens morbosiores eas reddit. Plethora & Cacochymia, quæ morborum causæ internæ audiunt in scholis, fibræ morbosæ fœtus sunt. Consueta excrementorum evacuatio si imminuatur aut supprimatur, succi necessariò in vasis exuperant; at quæ eliminati debent, parciùs aut nullatenùs excernuntur facultatis expultricis, quæ in fibrarum elatere sita est, culpâ. Digestionum, secretionumque error degeneres procreat succos; hic error in trituram, quam malè absolvunt fibræ, refundendus est. Præposterum rerum, quas non naturales medici dicunt, usum insequuntur succorum redundantia, corruptio: Utramque ideò ab illis proximè generari male concluderetur; vis rerum non naturalium nociva, in fibrarum systema sese primùm exerit. Enimverò videre est alios à diætæ errato quin & ab intermisso solum ejus ordine facilè lædi, alios contra, qui nullam vivendi legem servant, nullatenùs offendi; cujùs discriminis causa ea profectò est, quod in his firma, in illis tenera sint corporis stamina. Non aliundè hominum pars diuturnâ sanitate, longâ que adolescentiâ fruitur, dum cæteri celerrimè & senescunt & ægrotant. Gaudeant igitur bene nati, quorum ex meliore luto præcordia coaluere, id est ex integris & robustis fibris contexta sunt. Tam durabile est corporum ita compaginatorum robur, ut longiori solummodo dirui possit annorum serie, quâ tandem *Rumpitur funiculus argenteus, & recurrit vitta aurea, & conteritur hydria super fontem, & confringitur rota super cisternam.* (Ecclesiast. c. 12. v. 6.)

Ergo morbi à solidis potiùs, quàm à fluidis.

Domini Doctores disputaturi.

M. Carolus Contugi.	*M. Philippus Douté.*	*M. Petrus Daquin, Medicus Regis ordinarius.*
M. Franciscus Vernage, Facultatis Decanus.	*M. Amandus Douté.*	*M. Joannes Cordelle.*
M. Joannes Baptista Dodart, Serenissimi Ducis Aurelianensium Medicus primarius.	*M. Franciscus Goüel, Chirurgiæ Professor.*	*M. Petrus Yon.*

Proponebat Parisiis JOANNES HERMENT, Parisinus, Medicus Regis ordinarius utriusque aulæ Equestris designatus, & Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1704.

Apud Viduam Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.